

hæc antiquior denominatio videtur. Legitur enim c. 64. distinct. 50. « Ibi adesse debent Decani, id est Presbyteri Parochiarum, » ex quibus verbis colligi potest usque tunc hanc in Ecclesia dignitatem locum habuisse. (43. Lapsu temporis auctoritatem, qua Matricis Ecclesie Rectores in simplices Parochos pollebant, paulatim amiserunt, nec aliud nunc retinent, quam jus quoddam præminentie, et jus baptizandi inferioribus Parochis ut plurimum non concessum.

(44. Non ita tamen Murator. *sopra l'antichità Italiane* tom. 1. diss. 10. Hic vir cæteroquin doctissimus antiquiori ævo, eos fuisse arbitratur Decanos, quibus Ecclesiarum baptizandi jure destitutarum regimen erat commissum, subditosque fuisse Centenariis, seu Centurionibus. (45. Cum enim anno 595. a Clotario II. Francorum Rege, ut ipse refert, cujuscumque Civitatis Agrum in Centenas, seu Centurias, et Decurias, seu Decanias fuerit divisum, inde colligit laudatus Auctor, Decuriones, seu Decanos decem familiis, Centenarios vero seu Centuriones centum familiis præfuisse, ideoque illos inferiores, hos vero digniores Ecclesias obtinuisse. (46. Sed tanti Auctoris pace dicam, in toto Canonici juris corpore hujus divisionis vestigium non reperio, ideoque non satis probata ejus mihi videtur opinio. Primo constat, ab anno usque 438. quo evulgatus fuit Codex. Theod. Jac. Goth. Proleg. Cod. Theod. cap. 1. 2. 3. Struv. *Histor. jur. Roman.* cap. 2. § 12. (47. hos Centenarios, qui Plebis sibi usurpabant distributionem, fuisse Imperatorum auctoritate sublatos leg. *Sacerdotales* 20. Cod. Theodos. de Pagan. in fin. « Chiliarcas insuper, et Centenarios vel qui sibi plebis distributionem usurpare dicuntur, censuimus removendos, ita ut capitalem sententiam non evadat qui, » etc. Ex his sequitur ante Clotarium Centenarios quidem fuisse, sed a Theodosio sublatis, quin appareant deinde in primævam dignitatem saltem in Ecclesia restituti.

(48. Profecto in citato cap. 64. distinct. 50. recensentur variæ Ecclesiasticæ dignitates, quæ animarum Curam habentibus conferebantur, nec centenariorum fit mentio, sed expresse traditur Decanos fuisse Archipresbyteros Parochiarum: « Decani, id est Archipresbyteri Parochiarum; » et tamen hæc constitutio paulo anterior est Clotarii temporibus, cum desumpta fuerit ex concilio Agathensi habito anno 506. sub Pontificatu S. Symmachi. (49. Anno 904. Joannes Papa IX. in Synodo Ravennate mandavit, ut « sicut Episcopus Matrici Ecclesie præest, ita Archipresbyteri præsent Plebibus, cap. 4. de *Offic. Archipresbyt.* » (50. Nullum pariter centenariorum verbum legitur apud Alexan-

drum III. qui anno 1170. novam Ecclesiarum erectionem demandavit, in quarum caput constituiebantur Rectores veterum Ecclesiarum: « Providens tamen ut competens in ea honor pro facultate loci Matrici Ecclesie servetur. » cap. 3. de *Eccles. edific. et reparand.* Sed si a Clotarii usque temporibus honores, et obsequia ab inferioribus Parochis Ecclesie matrici debebantur, quomodo poterant deinde iterum concedi? Anno tandem 1198, (51. Innocentius III. nonnullis Ecclesiasticis dignitatibus jurisdictionem præfinitis expresse docet Archipresbyteris a pluribus fuisse Decani nomen tributum « Archipresbyteri autem, qui a pluribus Decani nuncupantur, » cap. 3. de *Offic. Archidiacon.* sive igitur anteriora, sive posteriora Clotario inspiciamus tempora, manifestum est Archipresbyteros et Plebanos recentes veterum Decanorum loco habendos esse. *Altaserra Ecclesiast. Jurisdic. lib. 8. cap. 18. per tot.*

(52. Rectius fortasse cum Duareno de *Sacros. Eccles. Minist. et Benefic. lib. 1. cap. 9. in fin. tom. 4.* dixisset Archipresbyteros, et Plebanos Chorepiscopos fuisse subrogatos, quorum propterea munere tunc fungebantur. (53. Chorepiscopi enim ita dicti a græco vocabulo *choros*, quod vicum vel pagum latine significat, ab Episcopis urbanis certis vicis, et pagis præficiantur, et Episcopalis jurisdictionis in nonnullis actibus participes erant. *Duaren. loc. cit.* (54. De his meminit Leo Papa I, ab anno usque 440, in cap. 4. distinct. 68, ubi recensentur ea quæ ad eorum jurisdictionem non pertinebant. (55. Sed cum paulatim omnia Episcopalia jura sibimetipsis arrogare contenderent, hinc anno 794. (56. Leone III, Pontifice, et Carolo Magno Imperatore ejecti a Gallia fuerunt. *Fleury, part. 1. instit. c. 18. n. 5.* (57. Sæculo vero XI. Damaso Papa II, cum Chorepiscoporum arrogantia ferri amplius non posset, eorum munus fuit undique sublatum et antiquatum. *Cap. 4 et 5, distinct. 68, Gagliard. Instit. Canonic. lib. 1. tit. 24. § 24.*

(58. Sacræ Rotæ Tribunal suum quoque habet Decanum, qui Collegii caput est, et jurisdictionalibus nonnullis actibus distinguitur. (59. Is in locum deficientis Auditoris alium Auditorem subrogare potest. *Rot. cor. Cels. decis. 221, n. 1.* et in æquali suffragiorum numero ea pars prævalet, pro qua ipse suum tulit suffragium. *Rot. in recent. part. 18, dec. 81, n. 20.* (60. Longum esset si de omnibus Prælatorum Collegiis quibus præficiuntur Decani, sermo habendus esset, sed cum hujusmodi Decani honoris potius, quam jurisdictionis primatu perfruantur, ideo non est cur diutius super illis disse-
rendo immoremur.

DECIMÆ.

tiæ decimarum, usque ad num. 5. — 6. Quare decima pars potius, quam vigesima, vel alia quota electa fuerit a Domino. — 7. Decimæ dividuntur in Prædiales, seu Reales, et in Personales, et quæ sint utraque? ad n. 8. — 9. Omittitur hic tertium genus decimarum, quas varii admittunt, et vocant *decimas*

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — Quoad ea que concernunt Decimarum esse, divisionem et obligationem.

1. Decimæ quid sint. — 2. Decimæ ortum habent ex veteri Testamento. — 3. Adducuntur congruen-

tiæ. — 40. Decimæ aliæ sunt profanæ, et aliæ Ecclesiasticæ, et quæ sint utraque? ad n. 12. — 43. Decimæ duplici modo considerari possunt. Primo modo materialiter, et secundum substantiam, quatenus sunt stipendium necessarium ad honestam sustentationem Ministrorum Ecclesie; Secundo modo formaliter, et secundum certam ac determinatam partem fructuum, scilicet decimam, non octavam vel duodecimam. — 44. Decimæ primo modo consideratae sunt debitæ Ministris Ecclesie jure naturali divino, et humano, ad n. 17. — 48. Decimæ primo modo consideratae prout præcise continent necessariam sustentationem Ministrorum Ecclesie, sunt eis solvendæ, etiamsi aliunde habeant, unde vivant. — 49. Secus autem est dicendum, si Ministris Ecclesie sustentationem necessariam habeant ex aliis redditibus Ecclesiasticis. — 20. Decimæ secundo modo consideratae, id est formaliter, et secundum certam, ac determinatam partem, seu quotam fructuum, scilicet decimam, non octavam, vel duodecimam, licet in veteri Testamento fuerint debitæ ex jure divino positivo, tamen tempore novi Testamenti debentur Ministris Ecclesie solum ex jure positivo Canonico, seu Ecclesiastico, ad n. 25. — 26. Adducuntur pro instantia novi Canonis, et solvuntur, ad n. 28. — 29. Decimæ defraudans, vel non solvens peccat dupliciter, scilicet, et contra virtutem Religionis, et contra virtutem Justitiæ, ad n. 30. — 31. Immo ex Tridentino defraudans, et non solvens, aut impediens solvere, possunt et debent excommunicari, ad n. 32. — 33. 35. Decimarum origo. — 36. 37. Decimæ primum non ut præceptum impositæ — 38. 41. Quo tempore lata lex sit de solvendis decimis — 42. 45. Decimæ debitæ sunt de jure divino. ad 51.

ARTICULUS II. — Decimæ quibus, et a quibus sint solvendæ?

1. Decimæ antiquitus solvebantur loci Episcopo ad hoc ut ille easdem Clericis Ecclesie Ministris, juxta cujusvis meritum, et exigentiam in sua Diœcesi fideliter distribueret. — 2. Postquam autem facta est Parochiarum, et bonorum Ecclesiasticorum divisio, Decimæ de Jure communi solvendæ sunt Parochis. — 3. Decimæ prædiales de Jure communi solvendæ sunt Parocho loci non solum a Parochianis propriis, sed etiam ab alienis de agris et prædiis, quæ intra limites talis Parochie existunt; nisi contraria sit legitima consuetudo, ad n. 4. — 5. Decimæ ovium, aliorumque animalium, quæ dimidia parte anni morantur, et pascuntur intra limites Ecclesie prædialis, et altera dimidia parte anni intra limites Ecclesie Parochialis, debent solvi pro medietate utriusque Parocho. — 6. Sic etiam sunt dividendæ pro medietate inter duas Parochias Decimæ ovium, aliorumque animalium, quæ in una jacent, et dormiant, et in alia pascuntur. — 7. Quando oves, et alia animalia, nec morantur, nec pascuntur per ullam anni partem in Parochia Domini sui, sed in aliis, nulla pars Decimarum debetur Ecclesie Parochiali Domini, sed illi, ubi morantur et pascuntur. — 8. Decimæ ex ovibus, aliisque animalibus non sunt solvendæ Parochis illarum Regionum, per quas pascendo transitum faciunt, et redeunt in domicilium. — 9. Decimæ personales de Jure communi solvendæ sunt Parocho illius Ecclesie, ubi percipit Sacramenta; et audit Divina, etiamsi alibi lucrum v. gr. in negotiatione reportet. — 10. Tali proprio Parocho debentur decimæ personales, etiamsi Parochianus causa comitandi Regem, vel recreandi animum, vel agendi aliqua negotia, vel fugiendi pestem, vel causa belli, et hujusmodi extra illam Parochiam resideat, absque tamen animo transferendi domicilium in perpetuum. — 11. Decimæ personales non debentur primæ Parochiali, si quis mutaverit domicilium, sed secundæ, in qua recipit Sacramenta, et audit Divina. — 12. Decimæ personales sunt dividendæ inter plures Ec-

clesias pro rata temporis, quo Parochiani in eis audiunt Divina, et recipiunt Sacramenta. — 13. Si quis artifex habeat domicilium in confinio duarum Parochiarum, tenetur decimas persolvere illi Parochie, ubi est pars domicilii, in qua semper laborat; Et si dubitetur de qua Parochia domicilium sit, tunc inspicienda est janua, seu porta illius principalis. — 14. Si quis perceperit Sacramentum Baptismi in Ecclesia Matrice, et reliqua Sacramenta in Parochiali, decimæ personales partim debentur Ecclesie Baptismali ratione Baptismi, partim Parochiali propter reliqua Sacramenta. — 15. Alii autem Auctores volunt, et satis probabiliter, decimas personales deberi solum Parochiali in qua audiuntur Divina, et percipiuntur reliqua Sacramenta, non autem Baptismali, si ibi Divina non audiuntur. — 16. Unde circa hoc attendenda est consuetudo. — 17. Quando Parochia aliqua dismembratur, et erigitur nova Parochia, decimæ prædiales ad Parochiam Matricem pertinentes non transeunt ipso jure in Parochialem Ecclesiam noviter erectam, sed remanent apud Parochiam Matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Tridentini assignaverit ad n. 22. — 23. Decimæ vero personales transeunt ipso jure in Parochiam noviter erectam etiam ante ullam Episcopi assignationem, ad n. 24. — 25. Decimæ variis in casibus debentur integræ soli Episcopo. Primo quando prædia quædam intra Diœcesim suam sita, nulli certæ Parochie sunt assignata, tunc decimæ ex iis debentur Episcopo. — 26. Secundo quando adhuc reperitur aliqua Diœcesis, in qua nondum sit facta divisio, vel distinctio Parochiarum, tunc decimæ soli Episcopo debentur, non quidem ut sibi soli eas reservet; sed ut eas fideliter, et juste distribuat aliis Ecclesiasticis Ministris in curam animarum cooperantibus. — 27. Tertio quando Episcopus est etiam immediatus Parochus in aliqua certa Parochia, quam per Vicarium administrat, sive illa sit Ecclesia Cathedralis, sive alia. — 28. Quarto quando, et ubi non obstat legitima consuetudo in contrarium; debetur Episcopo *Quarta* de singulis decimis. — 29. Decimæ etiam Canonici Cathedralium, vel Collegiarum ac aliis Clericis simplicia Beneficia habentibus sunt de Jure communi solvendæ secundum eam portionem, quæ eorum Mensis, Dignitatibus, aut Beneficiis legitima auctoritate Ecclesiastica est assignata. Sicuti, et quando eorum Beneficia ex decimis legitime sunt fundata. — 30. Decimæ debentur omnibus supradictis Clericis Beneficiatis, qui ex officio in spiritualibus populo ministrant, etiamsi ipsi sint divites. — 31. Sic etiam decimæ debentur omnibus supradictis Clericis Beneficiatis, licet sint mala vitæ. — 32. Omnes fideles Parochiani, nisi aliquo speciali titulo, seu jure sint exempti, tenentur solvere decimas, tum prædiales, tum personales. — 33. Etiam Hæretici tenentur solvere decimas, tum prædiales, tum personales. — 34. Etiam Judæi, et infideles tenentur solvere decimas prædiales ex fundis et prædiis, quæ decimis erant obnoxia, antequam ad eorum manus pervenirent. — 35. Non tenentur tamen Judæi, et infideles solvere decimas personales. — 36. Clerici simplices, et non Curati tenentur solvere decimas, cum prædiales, tum personales de lucris, bonis et fructibus sæculari jure acquisitis. — 37. Non tenentur tamen isti Clerici simplices, seu non Curati solvere decimas de bonis Ecclesiasticis titulo Beneficii, aut alio titulo Clericali acquisitis, exceptis prædiis, agris et aliis fundis, ex quibus antequam in dotem Beneficii assignarentur, decimæ solvi solebant, ad n. 38. — 39. Clericis Curatis quacumque dignitate præditi, ut Episcopi, Abbates, Archipresbyteri, ac omnes alii Parochi quocumque nomine nuncupati, tenentur solvere decimas prædiales de fructibus bonorum titulo temporali, seu sæculari acquiritorum. — 40. Tales Clerici Curati tenentur solvere decimas prædiales ex prædiis, fundis et agris etiam Ecclesiasticis, seu Ecclesie dotalibus in alt-

rius Parochia positus, si de illis antequam in dotem Parochiæ pervenirent, decimæ alteri Parocho solvi solebant. — 41. Non tenentur tamen tales Parochi solvere decimas prædiales de bonis mere Ecclesiasticis in propria Parochia acquisitis. — 42. Neque tenentur tales Parochi solvere decimas personales, ad n. 45. — 44. Regulares de Jure communi tenentur solvere decimas prædiales, nisi speciali privilegio, aut legitima consuetudine sint exempti. — 45. Insuper spectato Jure communi antiquo, præscindendo a privilegiis, tenentur Regulares solvere etiam decimas personales. — 46. Hodie tamen Regulares omnes aliquo saltem modo a solvendis decimis sunt exempti per privilegia partim Juri communi inserta, partim specialiter concessa. Primo per privilegia Juri communi inserta Regulares omnes sunt exempti a solvendis decimis personalibus. — 47. Secundo per talia privilegia Juri communi inserta Regulares omnes sunt exempti a solvendis decimis de Novalibus, quæ vel propriis manibus, vel propriis sumptibus colunt. — 48. Novalia quæ sint. — 49. Tertio per talia privilegia Juri communi inserta Regulares omnes sunt exempti a solutione decimarum de nutrimentis seu pascuis animalium, et de hortis suis. — 50. Quarto per talia privilegia Juri communi inserta Cistercienses alique Regulares similibus privilegiis gaudentes, exempti sunt a solutione decimarum etiam de prædiis, qui terris non novalibus, illis scilicet, de quibus antequam ad eos pervenirent, decimæ non solvebantur. — 51. Immo de Jure communi tales Regulares de illis decimas solvere non tenentur, etiamsi, antequam ad eos pervenirent, decimæ fuerint solutæ, remanente in robore, quoad possessiones acquisitas ante generale Concilium de anno 1251. antiquo privilegio cap. Ex parte 10. et cap. Ad Audientiam 10. de decimis. — 52. Per privilegia specialiter concessa omnes fere Regulares hodie sunt exempti a solvendis decimis, nedum personalibus, sed etiam prædialibus de prædiis, et fundis cunctis, sive ante, sive post dictum Concilium generale de anno 1215. acquisitis, quæ propriis manibus, vel saltem propriis sumptibus excolunt. — 53. Talia tamen specialia Regularium privilegia non valent, nisi habeant Clausulam dicti Concilii generalis in capit. Nuper 54. de decimis, derogatoriam. — 54. Sufficit autem, si in privilegio exemptionis a decimis prædialibus fiat derogatio alicujus alterius Concilii generalis cum addito et aliorum Conciliorum vel si dicatur, Non obstante aliqua Constitutione etiam in generali Concilio edita. — 55. In generali communicatione privilegiorum, quamvis ampla, non communicatur privilegium exemptionis a solvendis decimis. — 56. Bona, et prædia, quæ solutioni decimarum sunt obnoxia, manent eidem oneri subjecta, etiamsi ad Regulares exemptos transeant, adeo ut Regulares teneantur illas solvere, quemadmodum solvebant Laici prius quam ad ipsos transirent, nisi a Sede Apostolica speciale privilegium eos specificè, quoad tales decimas, eximens obtineant. — 57. Referuntur aliæ novissimæ resolutiones in causis variorum Regularium ad hoc emanatæ; ad n. 59. — 60. Ad decimas solvendas non tenentur Regulares non possidentes stabilia, et qui de elemosynis vivunt, ad n. 62. — 65. Quibus competat juris assistentia pro Decimis.

ARTICULUS III. — Decimæ ex quibus rebus, ac quo modo, tempore et loco sint solvendæ.

1. De Jure communi solvendæ sunt Decimæ prædiales de omnibus fructibus, seu proventus bonorum omnium tam mobilium, quam immobilium licite acquisitorum. — 2. Assignantur in specie ea, de quibus Decimæ solvendæ sunt. — 3. Decimæ prædiales solvendæ sunt, nedum de omnibus licite acquisitis, sed etiam de illicite acquisitis. — 4. Decimæ personales, ubi illæ adhuc sunt in usu, nec

dari debent, nec accipi possunt de illicite acquisitis, et illicite retentis, ad n. 5. — 6. De illicite tamen acquisitis, et licite retentis, Decimæ dari debent, et accipi possunt. — 7. Quamvis vero de sic illicite acquisitis possint Ministri Ecclesiæ Decimas repetere, non expedit tamen ut illas repetant, donec sic turpiter viventes non se emendaverint. — 8. Decimæ non sunt solvendæ ex bonis acquisitis titulo hæreditatis, Legati, vel donationis. — 9. Si tamen bona acquisita titulo hæreditatis, Legati, vel donationis sint fructifera, et ex illorum fructibus nondum sint pro illo anno solutæ Decimæ, debent solvi, ab eo, qui earum dominium, et possessionem acquisivit; sicuti tenebitur ex post quotannis illas solvere. — 10. Decimæ prædiales solvendæ sunt integre absque ulla deductione seminis, vel expensarum, quæ in colendis prædiis, et colligendis fructibus, pro custodia animalium, et hujusmodi fiunt. — 11. Insuper Decimæ prædiales solvendæ sunt integre absque ulla deductione tributorum, et censuum prædialium, vel aliarum exactionum, ita ut ante præstationem ipsarum integre solvi debeant; vel si prius tributum non decimata solvantur, et ipsa decimari debeant, sive Decimas inde solvere cogatur is, qui tributa accipit. — 12. Decimæ prædiales solvendæ sunt non nisi deductis prius expensis. — 13. Decimæ prædiales solvendæ sunt statim ac fructus sunt a solo separati, et collecti. — 14. Et obligati ad Decimas tenentur illas solvere, etiamsi a Parocho, vel ab alio jus decimandi habente, prius non moneantur, nec ab eis petantur. — 15. Alioquin peccant, si sine justa causa solutionem notabiliter differant. — 16. Immo obligati ad Decimas tenentur ad resarciendum damnum, si quod ex sua culpabili mora solvendi in Decimis sequatur. — 17. Decimæ prædiales solvendæ sunt pluries in anno, si prædia pluries in anno seminantur, et pluries in anno fructus proferant. — 18. Decimæ personales, ubi illæ adhuc sunt in usu, solvantur omnes in fine cujusque anni, sicuti alii census, et tributa tunc solvi solent. — 19. Si tamen alicubi esset diversa consuetudo, esset observanda. — 20. Circa locum, in quo solvendæ sunt Decimæ, si attendatur jus commune, videtur quod parochiani propriis sumptibus teneantur illas deferre in Domum, vel Horreum Parochi. — 21. Si vero attendatur consuetudo jam fere ubique introducta, Parochi ipsi, alique Decimatores tenentur Decimas colligere, et suis expensis in domum deferre. — 22. Consuetudine esse posse fructus, ex quibus decima non solvatur. — 25. 28. An Decima debeatur, si in Prædiis, quæ fructus ferebant Decimæ obnoxios substituuntur fructus, qui consuetudine minime erant Decimæ subjecti. — 29. Decimæ solvendæ in ipsis fructibus, non item in pecunia. — 30. Quænam consuetudine solvi possit in pecunia.

ARTICULUS IV. — Jus decimandi a quibus, et quibus acquiri et concedi possit.

1. Clerici acquirere possunt jus decimandi variis modis. Primo Papæ concessionem, seu privilegio. — 2. Secundo per consuetudinem legitime præscriptam. — 3. Ad sic autem præscribendum contra Laicum, vel contra Clericum privatum, vel contra aliam causam non privilegiatam, sufficit decennium inter præsentem, et vicennium inter absentes. — 4. Ad sic præscribendum contra aliquam causam piam requiruntur, et sufficiunt quadraginta anni cum bona fide. — 5. Ad sic præscribendum contra Ecclesiam Parochialem requiruntur quadraginta anni una cum titulo, vel tempus immemorabile. — 6. Tertio Clerici acquirere possunt jus decimandi per transactionem. — 7. Et talis transactio si sit facta cum legitima auctoritate, et consensu Superiorum, obligat etiam successores. — 8. Si vero transactio facta fuerit sine legitima auctoritate Superioris, valet solum inter ipsas personas transigentes, et nullimode obligat successores. — 9. Quarto Clerici

acquirere possunt jus decimandi donatione, dummodo adsint solemnitates ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitæ. — 10. Si tamen decimarum donatio sit facta a Laico Ecclesiæ, vel loco Religioso, tunc non requiruntur tales solemnitates, sed sufficit solus Episcopi consensus. — 11. Quinto Clerici acquirere possunt jus decimandi, permutatione. — 12. Requiritur autem etiam solemnitates ad alienationem necessariæ. — 13. Sexto Clerici acquirere possunt jus decimandi per compromissionem in arbitros. — 14. Requiritur tamen pro tali compromisso solemnitates ad alienationem necessariæ. — 15. Laici nullo modo possunt acquirere jus decimandi, quatenus spirituales, sive fundatum in titulo spiritualis officii, seu obligatione ministrandi spiritualia. — 16. Possunt tamen Laici licite, et valide per specialem concessionem, seu privilegium Summi Pontificis acquirere jus decimarum, quatenus hoc consideratur ut abstractum a titulo, ac jure spirituali, et solummodo est quid temporale, scilicet jus præcise percipiendi decimam partem fructuum. — 17. Immo olim etiam Episcopi, ac alii Ecclesiarum Prælati jus percipiendi tales decimas in Feudum, vel Emphyteusim perpetuo concedere poterant. — 18. Hodie tamen a tempore Concilii Tufonensis celebrati sub Urbano II. anno 1096. vel saltem a tempore Concilii Lateranensis celebrati sub Alexandro III. 1179. id sine consensu, et facultate Summi Pontificis facere amplius non possunt. — 19. Valent tamen etiam nostri temporibus illorum concessionem eisdem factæ ante dictum Decretum Urbani II. et ante dictum Concilium Lateranense. possuntque Laici etiam hodie licite retinere jus talium decimarum antecessoribus suis concessum ante dictum Decretum. — 20. Laici nulla præscriptione, et consuetudine etiam immemorabili acquirere possunt jus decimandi. — 21. Hinc Laici ut retinere valeant decimas, præter tempus immemorabile, requiritur insuper fama privilegii, debentque Laici probare communem famam, quod decimæ fuerint suis antecessoribus ex privilegio concessæ, vel ante Concilium Lateranense in feudum date sunt. — 22. Contraria tamen sententia est etiam probabilis. — 23. Laici jus decimandi, quod ex legitimo titulo possident, nequeunt per venditionem, donationem, mutationem, vel per alium contractum in alios transferre Laicos sine auctoritate Papæ. — 24. Etsi tamen sit vere probabilis etiam contraria sententia. — 25. Ad validitatem concessionis decimarum favore Laicorum requiritur specialis derogatio. — 26. 27. Quid si concessio cadit super jure spirituali decimandi vel commoditate decimarum.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt decimarum esse, divisionem et obligationem.

(1. Decimæ sunt «decima pars omnium fructuum, et proventus juste acquisitorum, Deo in recognitionem universalis supremiæque domini debita, atque Ecclesiæ Ministris solvenda.» Est in re communis; et deducitur ex cap. Non est 22, cap. Transmissa 23 et cap. Tua nobis 26 de decimis, cum concordantiis; et Concil. Trid. sess. 25, de reform. cap. 12. (2. Decimæ ortum habent ex Veteri Testamento, Genesis 14 et 28. Exodi 22. Levit. 27, Num. 28. (3. Decimarum congruentia est. Primo, quia sic recognoscitur Deus tamquam Donator, et supremus Dominus omnium bonorum, juxta cap. Tua nobis 26, de decimis, ibi: «Decimæ, quas Deus in signum universalis domini sibi reddi præcepit, suas esse decimas, et primitias asseve-

ARTICULUS V. — Decimæ, quoad modos, quibus potest quis eximi ab ipsis solvendis, et quoad Judicem competentem in earum Causis.

1. Primus modus, quo potest quis eximi ab obligatione solvendi decimas, est privilegium concessum a Summo Pontifice. — 2. Papa valide concedit exemptionem decimarum. — 3. Privilegium eximens a decimis cessat, quando incipit esse enormiter præjudiciosum Ecclesiis Parochialibus. — 4. Cum dubitatur an privilegium sit enormiter lasivum, recurrendum est pro declaratione ad Papam. — 5. Insuper privilegium non solvendi decimas cessat, et amittitur per non usum, seu potius per usum contrarium, quo privilegiati decimas per 40 annos solvunt. — 6. Nec sufficit ad amittendum tale privilegium, si per 50. annos privilegiati solvant Decimas. — 7. Ulterius privilegium non solvendi Decimas potest amitti transactione, et conventionem facta inter partes. — 8. Secundus modus, quo potest quis eximi ab obligatione solvendi decimas, est consuetudo, vel præscriptio. — 9. Hinc inferitur posse ex consuetudine induci, ut ex certis fructibus v. g. vino, oleo, feno, etc. vel ex fructibus minutis, et fœtibus animalium nullæ omnino Decimæ solvantur, aut aliqua solum portio solvatur. — 10. Et sic potest induci consuetudo, quod decimæ de bonis locatis, aut arrendatis non solvantur, quæ consuetudo servanda est. — 11. Sic etiam consuetudine possunt Decimæ alterari respectu quotæ, qualitatis et modi. — 12. Talis consuetudo debet esse uniformis, universalis et legitime præscripta. — 13. Ad hoc ut talis consuetudo sit legitime præscripta requiritur lapsus saltem quadraginta annorum. — 14. Adducitur instantia, et solvitur, ad n. 15. — 16. Ad solum Judicem Ecclesiasticum privative quoad Laicum pertinet causa decimarum, si agatur de proprietate et jure percipiendi Decimas, ad quem pertinet, vel de privilegio, aut præscriptione earum, aut de exemptione a solutione earumdem. — 17. Hinc fit, ut etiam causa decimarum, quæ date sunt in Feudum sæcularibus, discutienda sit coram Judice Ecclesiastico. — 18. Unde si quis in similibus causis Decimarum erga Judicem Ecclesiasticum contumacem se exhiberet, posset per censuras compelli. — 19. Quomodo acquiri possit exemptio a solutione decimarum. — 20. 31. De Apostolico Privilegio quo exemptio acquiritur. — 32. 42. De præscriptione qua eadem exemptio acquiritur.

rans, » et cap. Cum non 33, eod. tit. ibi: «Cum autem in signum universalis domini quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit.» (4. Secundo, quia Ministris Dei debetur sustentatio juxta illud Matthæi 10, ibi: Dignus est enim operarius cibo suo, et Lucæ 10, ibi: Dignus est enim operarius mercede sua, et I ad Corinth. 9, ibi: Quis militat suis stipendiis unquam? Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?... Nescitis quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, et qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Ita et Dominus ordinavit, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Et c. Cum secundum 16, de præbendis ibi: «Cum secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari; et qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur.»